...zett.

...bd.

1680 die 13 Aprilis.

Poezya 2926

Frzanckier Stanisl. Ant. Nexus floridae Musarum coronae VV. DD. XII primae laureae Candidatis – dedicatus.

NEXVS

Floridæ Musarum CORONÆ,

VV. DD. XII. Primæ Laureæ Candidatis,

DVM

IN ALMA VNIVERSITATE CRACOVIENSI,

PER

Clarissimum, & Admodùm Reuerendum Dominum,

D. M. PAVLVM WOIEWODZKI,

Collegam Maiorem, Regium, & Cursus Vladislauiani Professorem, Canonicum S. ANNÆ,

In frequentissima Nobilissimorum Hospitum, & Academici Senatus Corona,

Artium, & Philosophiæ Baccalaurei,

RITV SOLENNI,

RENVNTIARENTVR;

amoris, & gratulationis ergò,

A

STANISLAO ANTONIO FREZNEKIER,

eiusdem Laureæ Candidato,

Panegyrico Applausu

DEDICATVS.

Anno Salutis 1680. Die 13. Mensis Aprilis.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

In Gentilitium Insigne Illustrissimi, & Reuerendissimi Præsulis.



Hortorum sublime decus, quo Lilia candent;
Præsulis est Magni, nobile mentis ebur.
Omne decus virtutis habet, qui Lilia cordis
Pura, coronato Stemmate Præsul habet.
Purus ei candor, nix est purissima vitæ;
Non alio vernat, gratia tota sinu.
Scilicet in niueo voluit pulcherrima flore,
Delitias virtus hîc posuisse suas.

PAVLVS FREZNEKIER, Auditor Rhet.

Illustrissimo & Reuerendissimo Dño,

D. NICOLAO OBORSKI,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO LAODICENSI,

Suffraganeo, Scholastico, â Sede Vacante Episcopatus Cracouiensis, & Ducatus Seueriæ

ADMINISTRATORI,

Domino, & Patrono Amplissimo.

AD Liliorum Tuorum delitias, profundo cultu veniunt, florida hæc Musarum decora; è Regalibus nuper viretis decerpta virtutum, & Sapientiæ Matris illius, quam Tu in delitijs habes. ILLVSTRISSIME, & REVERENDISSIME DOMINE. *Pertinebat nimirùm ad innocentem animi Tui sinum, nexus iste coronarum Palladis; qui non aliter, in pulcherrimum decoris eruditi abijsset vinculum; nisi Tu eum candidissimo Lilio Tuo, Antistitum æui nostri flos, & gemma consignasses. Cedit nunc in venerationem nominis Tui, & amplitudinem honoris; quicquid Sede vacante, Principem Te Sacrorum, & tantæ Diœcesis Atlantem, cultu maximo prosequitur. quidni inclinent se Tibi, literæ quoq; nostræ, & coronæ; quarum ius ad Te deuolutum, amœnissima tempe, & vernantes literato honori Gratias, inter Lilia Tua fecit. Excepisti aliquando lachrymas Diœcesis huius, post Magni Præsulis* PETRI GEMBICII *obitum, Fascia Liliorum Tuorum; super quam lachrymæ illæ cecidère vt gemmæ: sed post Olorem quoq;* TRZEBICIANVM, *inter cælestia phænomena relatum, res iterum ad Lilia Tua redijt. Nec enim post niuei candoris Alitem, vices Præsuleas agere, aut gregi fidelium præesse potuit; nisi candidus, & mansuetus, qui pascitur inter lilia Agnus. Ingens hoc quidem pondus, & Angelicis etiam humeris formidandum est; quod Tibi in tantæ Administrationis munere incubuit: sed manus Tuas omnibus dilectas, & brachia Tua in omnium amantissimos complexus ruentia, sustentant tot millia pro Te suspirantium, & cæleste Tibi a Deo petentium robur, quot Tu beneficia in omnes & paternì cordis viscera, ceu manibus effudisti Lilia plenis. vt iure omninò dixerim, quot clementiâ, & bonitate Tua, deuotos pro Te fecisti; tot Samsones coram* DEO, *qui manus Tuas sustentant, tot Centimanos Te habere. An verò Pontificales curæ, quibus Ecclesia* DEI *regitur, pectus aliud maioribus*

experimentis probatum inuenissent? quam Tuum hoc, ære triplici fusum, & adamante quouis solidius; in quo post maxima negotia ad vnguem exacta, superest semper vis quædam admiranda, iterum ad maiores curas expedita, & eminentior vniuersis. Stupuit olim & ætas illa, in Magno Patruo Tuo THOMA OBORSCIO, *Episcopo Laodicensi, & Suffraganeo Cracouiensi, vim illam immensi cuiusdam spiritus; qua ille, vt sanctitatis, & innocentiæ, ita laborum quoq; in Ecclesia Dei, & operosissimæ functionis miraculum fuerat. Sed hi Tui, ampliùs quam viceni anni, quibus munia Præsulea, & secundæ Administrationis grande negotium geris; magnitudine, & numero meritorum Tuorum, atq; infracta in ijs virtute Tua, ipsum etiam stuporem excesserunt. Cessent humana encomia, cessent linguæ. perorant pro Te, tot animæ* DEO *consecratæ, tot Basilicæ, tot Aræ, tot Actus publici, Tyara Tua decorati. Perorant tot sacri Cætus, tot Orphanorum, & egentium turbæ, à munifica manu Tua pendentes. Perorat sacrum & illibatum Tribunal Tuum, tot Oraculis, & sanctissimis iustitiæ decretis. quin & ipsa D. Patriarchæ nostri* IOANNIS CANTII, *processu super vita, & miraculis eius, maximis laboribus Tuis formato; Sacræ apotheseos, quam ardentissimis votis expectamus, æternum pro Te perorabit corona. Iusto proinde venerationis profundæ titulo, inclinat se Tibi, floridus hic coronarum nexus; cum quo in odorem Liliorum Tuorum festinat, Augusta Regum Filia Pallas Iagellonica; quæ Studiorum Tuorum aliquando Mater, nunc Te Parentem suum illo cordis affectu sentit; quo eam tenerrimè diligens, in ipso Gratiarum sinu, nimirùm inter Lilia Tua ponis. Sed nec primitiæ Laureati honoris mei, iustius à me cuiquam debentur; quam Tibi magne Præsul: à cuius Pontificijs manibus, è sacro Baptismi fonte, primitias fidei, & gratiæ exorsus, omnem deinceps gratiam, debere me Tibi profiteor; vrgente amplissimo in Domum meam fauore Tuo; vt etiam minimi isti, ad Pontificia Lilia Tua repentes flosculi, in panegyres Tuas assurgant; nemine in Laudibus Tuis tam elingui, in quo Tu ipse maxima Tibi panegyris, non triumphes. Flores igitur ætatis meæ, sacris vestigijs Tuis substerno; aduoluorq; supplex immensæ Maiestati Diuinæ, vota nuncupans; vt annorum, & meritorum Tuorum seriem, bono publico, ceu aceruum vallatum Lilijs adaugens; orbatam zelantissimo olim Pastore suo Diæcesim hanc, quam fidei Tuæ commisit; iubeat esse non iam amplius pupillam, sed sponsam Lilijs Tuis coronatam.*

Illustrissimæ & Reuerendissimæ
Dominationis Vestræ,

Cliens Deditissimus,
STANISLAVS ANTONIVS FREZNEKIER,
Primæ Laureæ Candidatus.

B. JOANNI
CANTIO,
Regni Poloniæ, & Academiæ Cracou:
PATRONO,
Ara ſacri honoris, primitijs florum coronata;

CVM EPIGRAPHE:

FLOS MAXIMVS IN TE.

GRatiæ veris, ſuper erudito
Orbe dùm ſurgunt; Zephyriq; lenes
Flabra dum Phœbi, per amæna tempe,
Dulcia ſpirant;
Dextra Muſarum teneros eburna
Colligit flores; & amica terræ
Dona vernantis, iubet auſpicato
Surgere nexu.
Imus ad Cyrrhæ noua litteratæ
Serta, Regales vbi diua cultus
Pallas, vt regnet, Iageloniano
Induit oſtro.
Sed coronato quis honos labori?
Quis ſacer nexus ſine Te beati
Portio ſecli, Craciæq; Princeps
Gloria ſtoæ?
Diue, cûi totum decus in coronis
Frontium ſeruit; quoties togati
Verticis ſummum decorat, tenellis
Muſa corymbis.
Sæculi quod iam triplicis virorum,
Seruet intactum Cracidos Minerua;
Hoc decus totum, tua Sanctitatis,
Gratia ſeruat.

Hic vbi Regum trabeata quondam
Dextra, plantauit sapiens viretum;
Primus est horti Sapientis & flos
Maximus in Te.

Ad Tuos ergo veneranda cultus
Ara consurgat; roseisq; Phæbus
Hanc super nimbis, iaculetur omnem
Cælitus Hyblam.

Hoc polo dignum Tibi sit tributum,
Magne Doctorum Pater, & fauentem
Diue Te nobis faciat, togati
Veris in ortu.

Dona sacramus Tibi laureata,
Tu polo nobis benedicta redde;
A Tuis pendet manibus, stagyræ
Tota venustas.

Clarissimis, & Excellentiss: Dominis
DD. EXAMINATORIBVS,
Clarissimo, & Admodùm Reuerendo Domino,
D. M. CHRISTOPHORO
SOWINSKI
Collegæ Maiori, Regio, & Cursus Vladislauiani Professori, Custodi Pilecensi,
Canonico S. ANNÆ, ac interea Philosophicæ facultatis
DECANO;
Clarissimo & Admodùm Reuerendo Domino,
D. M. PAVLO
WOIEWODZKI,
Collegæ Maiori, Regio, & Cursus Vladislauiani Professori,
Canonico S. ANNÆ;

Cla-

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D. M. SEBASTIANO TARALICZ,

Collegæ Minori, Ordinario Eloquentiæ Professori;

Radiorum solis corona, Musarum viridarijs amica.

CVM LEMMATE.

Decus hoc à lumine vestro.

VIreta quid sunt? totaq; Gratijs
Amica tellus suaueolentibus;
Tibur quid Orbi delicatum,
Hesperiæ genuitq; flore,
Partu rosarum purpureo sinus?
Si lampas Orbis non fauet aurea;
Ocelle Phœbi si negasti,
Sidereæ radios coronæ.
Quæ cura felix Alcinoe est Tibi?
Si mille florum germina, roscidis
Latent in hortis, si decoros
Non dederit Tua Phœbe vultus,
Corusca cælo gratia concidit
Omnis venustas Te sine, nec rosas
Murex coronat, lacteâ nec
Candet ebur niue liliorum.
Florum est Apelles sol, quoties iubar
Vitale plantis explicat; & soli
Pingit virescentis theatro,
Innumeras species colorum.
Hanc nos coronam luminis, & decus
Debere vobis omne, virentibus
Fatemur hortis. nam stagyræ
Dulce iubar sapientis, & cor

Primum SOWINSKI; *dum cathedris ſophum*
Te principatûs purpureæ togæ
Præſſe fecit nonne Phœbi
Æthereã radiantis in Te

Lucem refudit? Te nitor aureus,
Mentiſq; doctæ limpida claritas,
Stoæ per exedras coronat;
Ingenij Peripatus in Te

Dotes beatas, & ſolidas ſtupet,
Probumq; pectus, plenaq; gratijs
Tot dona morum ſuauitatis,
Auſonijs bene culta terris.

Nec fulguranti ſidere Tu minor,
Titan ſophorum per cathedras nites
Præclare WOIEWODZKI; *ad omnem*
Quem ſapiens animus poliuit,

Virtuſq; normam ſtoa Tibi pares,
Et ſuada dulcis nectit adoreas;
Sub cuius erudito cultu,
Sreniauiæ micuêre gemmæ.

Sed Tulliani copia nectaris,
Suadam, TARALICZ, *mellifluam Tibi;*
Deditq; per vireta Pindi,
Lenè fluens Tibi ſappho carmen;

Et cor ſerenum rebus in arduis,
Quod claret in Te. ſic radiantia
Splendore Phœbæo, ad coronas
Lumina nos docuêre Veſtra.

O ergo tantæ lux Sapientiæ,
Nomenq; Veſtrum clareat altiùs;
Donec coronatis in auge,
Veſter honos meritis triumphet.

NE-

N E X V S
Floridæ Musarum
C O R O N Æ.

II. V. D. STANISLAO RAPHAELI
L E Y C H T N E R.

Coronatus ex Pæstanis rosetis, Suadæ, & Themidis nexus.

CVM LEMMATE

Sapiens vtrinq; Corona.

CRaciadum quæ Te genuit pulcherrima sedes,
Ingenij dotes, & gratæ florida suadæ
Ornamenta Tibi concessit in ore diserto.
Purpura quam præfers animo, verbis quoq; dulces;
Ingenerasse rosas culto sermone videtur;
Cûi Tu iustitiæ Themidem coniungere sacram,
Dum satagis, cupiens oracula pandere veri,
Consilij Delphosq; loqui, consurget amico
Inde Tibi nexu, Sapiens vtrinq; corona.
Hoc ego Te, Leyhtner, roseo virtutis honore
Ornatum, Themidiq; simul, suadæq; placentem,
Pæstanis nunc cingo rosis; vt pulchrior inde,
Indolis egregiæ species, & gratia fandi
Te decoret; Consique sacros deducat ad vsus,
Dona animi selecta Tui, subsellia donec
Pulcher honos, maiora Tibi cum laude coronet.

III. V. D. S T E P H A N O
B A R W I N K I E W I C.

Mellisophilon inter coronarũ decora flos apud antiquos lectissimus.

CVM EPIGRAPHE.

FLORET AB INGENIO.

CVm Te Stoa sibi poscat, & arduum
Barwinkowic opus, quod Cathedras sophûm
Vrget difficiles; flos capiti Tuo
Iustis cedit honoribus.
Flos æui veteris maxima gloria;
Qui summo capitis vertice, roscidas
Latè fudit opes, hic vbi mentium
Sedes aurea cernitur.
Flos hic ingenij signat adoream;
Quâ Te condecorat flos animi Tui;
Vernans ingenium cum tibi sedulo,
Assurgat Studio sophûm.

Præclaris igitur dotibus hoc age;
Vt te Craciacæ Regia Palladis,
Olim Stoa virum, pro meritis tuis
Summos prouehat ad gradus.

IV. V. D. BARTHOLOMÆO MALICKI.

Flos violæ Tusculanæ, inter florum, & coronarum delitias suauissimi odoris,

CVM LEMMATE.

MENTIS HÆC GRATIA CVLTÆ.

GRatius ingenio nihil est, quod floret amœnis
Dotibus, & fontem nectaris intus habet.
Fragrat odoratis bona mens dulcoribus, & se
Dum sapit, ingenio suaueolente probat.
Vndique sic violas sequitur fragrantia dulces;
Nec sua concludit balsama gratus odor.
Hæc est illa Tuæ, MALICKI, gratia mentis,
Ingenij præstans hoc tymiama Tui.
Hesperias placido violas imitaris odore,
Seu Tibi Stoa grauis, seu Tibi suada placet.
Eloquium vernans, & dulci nectare fusum,
Influit in mentes, cordaque docta rapit.
Nec perplexa sophum fugiunt Te dogmata, quæ Tu
Ingenij summa non sine laude capis.
Gratia sic omnis, Te cultis moribus ornat;
Surgit ab ingenio scilicet omne decus.

V. V. D. ANDREÆ FRANCISCO ZIELOPOLSKI.

Flos purpurei lilij, circa Pangæum montem, vberrimè prouenietis.

CVM LEMMATE.

Non aliter facunda vernat.

TE purpuratis nexibus ambiunt
Pangæa quando lilia; floridam
Præstantis ad suadæ coronam;
Surgit honos tibi destinatus.
Ab elegantis dotibus ingenî;
Zamoscianis quod laribus tibi,
Dulces, ZIELOPOLSKI Camœnæ
Purpureo decorasse cultu
Iussère. quando flore tibi viret
Vel nomen ipsum, totaq; Gratijs
Mens eruditis vernat in te;
Seu Cathedris placeat Sophorum,
Siue eloquenti viuere gloria;
Te purpuratis vndiq; floribus
Pallas coronabit, decusq;
Te paribus meritis sequetur.

VI. V. D. IOANNI ANDREÆ KOGNACKI.

Floris Narcissi, in montanis Lyciæ, mira venustate gaudentis.

CVM EPIGRAPHE

DELECTAT, ET ORNAT.

NOn est delitium gratius, vt bonæ
Mentis iustus honos; quando laboribus
Partam ritè togatis,
Virtus sumit adoream.
Si Narcissus habet florida gratiæ
Ornamenta suæ; pulchrius omnibus
Narcissis, tua docti
Floret gratia pectoris.
KOGNACKI. Latij scilicet aureus
Te flos eloquij poscit, & Atticis
Ornat suada viretis,
Delectantque animos Tui
Dotes ingenij; quod studio Sophûm
Clarebit, solidam dum bene iunxeris,
Celso munere dignæ,
Virtutem Sapientiæ.

VII. V. D. FRANCISCO SŁOWIKOWSKI.

Floris Hyacinthini Apollineum decus, in Musarum coronamentis spectatissimum.

CVM LEMMATE.

Sis Phœbo, Musisq; Sacer.

PVlchra virtutis species, honoris
Postulat iustè decus eruditi;
Iuncta doctrinæ quoties togato
Culmine gaudet.
Gratus vt flos est Hyacinthus Orbi;
Quem suis Phœbus tenuit medullis;
Grata sic virtus Sapiens, & altis
Digna corymbis.
Hæc tibi Musas, & amica Phœbi
Corda tot donis poterit mereri;
Quot tibi laudes dedit eloquentis
Gloria suadæ.
Lauream quicquid decet auspicatam,
Hoc tibi totum feret alma virtus;
Dum SŁOWIKOWSKI *tibi pulchra fies*
Ipse corona.

VIII. V. D. ANDREÆ SLIZEWIC.

Flos rosæ Prænestinæ, purpureo colore omnium gratissimus.

CVM EPIGRAPHE.

DECORO FLORE RVBESCIT.

SI Te gratia flore purpurato
Pulchrè condecorat, diserta fandi
Hæc est laus, animi probiq; signum.
SLIZEWIC, rubor iste Gratiarum
Flos est maximus, ad tuæ coronæ
Quem Prænestæ tulit decus togatum.
In Te cernitur indoles amæna,
Docti pectoris elegante cultu
Præcellens; roseo velut colore,
Pingit Flora suos amænitatis,
Inter Lilia delicata flores.
I felix animo, scientiarum
Ad quodcunq; genus, tibi secundus
Respondebit honos; & alta suadæ
Dum te rostra ferent, amica plausus
Pro te gloria fundet auspicatos.

IX. V.D. DOMINICO WŁODAWSKI.

Flos Cyclamini, inter vepreta quidē efflorescens, sed odore suauissimo

CVM LEMMATE.

Secarus per ardua honos.

QVicquid laurea Palladis
Immortale parat, surgere maximâ.
Curarum serie decet
Arctis Cyclaminon vepribus vt solet,
Vernans cingere gratia,
Donis vt vigeat suaueolentibus.
WŁODAWSKI, *tibi floridum*
Quamuis ingenium Pallade Lechicâ
Dignam nectat adoream;
Si secura tamen vis tibi gloriæ
Ornamenta dari tuæ;
Spinas difficiles inter amænius
Flores collige roscidos.
Tunc virtute tua, tunc animi tui
Viues dotibus aureis,
Cum securus honos viuet in arduo.

X. V.D. PAVLO FRANCISCO ŁOCHOWSKI.

Flos aurei coloris Chrisocome, Solis limpidam faciem præferens.

CVM EPIGRAPHE.

DOCTA VIRTVTE CORVSCAS.

FVlgore solis, limpida claritas,
Florem venustum, cum similem sibi
Clarere fecit; te ŁOCHOWSKI
Auricomo petit ille vultu.
Mens eruditis quippè nitoribus
Clarescit in te, lampadis aureæ
Fulgurq; gratum; quod sacrasti
Ingenio meliore Musis.

Accendit in te nobile pectoris
Natura lumen; sed magis à tua
Virtute docta, laurearum
Dulce tibi iubar explicasti.
Sis ergo solis flos, animi tui
Vultu sereno, sis decus aureum;
Honoris ad plenam togati,
Lux sapiens tibi surgat augem.

XI. V. D. ANDREÆ FRANCISCO WILLAMOWIC.

Floris Abrotoni perpetuus viror, & suaueolentiâ indeficiens.

CVM LEMMATE

SIC VERNAT, QVI SAPIT.

VIctura mentis eruditæ gloria,
Ætate crescit, nec temporum soluitur
Vasto recessu. Si trecentis Nestora.
Annis fatigat grande pondus seculi;
Decus perenne non fatigat mentium
Secli vetustas, sed virore florido
Coronat inter posterorum gratias.
Te, WILLAMOWICZ, literatus hic viror
Ornat venustè; quo fauentis ingenî
Dotes virescunt, laureæq; frontium.
Dilecta Musis vernat indoles tua,
Et os disertum suauibus facundiæ
Manat fluentis; quæ modesti pectoris
Commendat intus, pax amica literis.
Perenne nomen ergo si tu cogitas,
Serua virorem laudis, & scientiæ.

XII. V. D. ANDREÆ WARZYNSKI.

Flos Opobalsami Syriæ, pretiosi vnguenti copiâ abundans.

CVM EPIGRAPHE.

Sapientia animorum medela.

SVdat nectareis balsama fontibus
Arbor, quæ pretio diuitis Indiæ
Gazas exsuperat; dum medicas opes,
Atq; vnguenta salubria,
Selectis hominum germinat vsibus.
Flos vitalis ei est; quem sapientia
Vnguentis animi dulcibus exprimit,
Sanans vulnera cordium.
WARZYNSKI, placidas mens tibi Gratias,
Et motus animi compositos dedit
Viuax ingenium, iunctaq; moribus
Cultis dona scientiæ.
Hinc flos eximius te sibi vendicat,
Vitæ cor recreans flos Opobalsami.
Hoc vitale decus, det tibi floridam
Et vitam, & sapientiam.

XIII. V. D. THOMAE PIKIN.

Candidus flos Melilotos Attica, & venustate, & salubribus remedijs commendatus.

CVM LEMMATE.

Te candida munera poscunt.

Castalios flores, & docti symbola veris,
Concludit grato nomine Musa tuo
O PIKIN, *niueumq; tibi fert Attica donum;*
Cum suadæ norit lactea dona tuæ.
Serus Apollineas venisti sumere laurus;
Sed tibi non serum nascitur inde decus.
Nam tua mens doctis iam tempestiua cathedris,
Maturos fructus sedulitate tulit;
Peruigili studio sapientem quando stagyram
Lustrasti, penetras dogmata clara Sophûm;
Eloquio cultumq; tuo, cum tota dedisset
Gratia; qua vernans os tibi dulce sapit.
Candidus ergò tibi flos, tempora læta coronet;
Vt niueo fias munere gratus olor;
Cumq; in te nostri iam cætus desinit ordo,
Tu florum nobis, pulchra coronis eris.

I. V. D. STANISLAO ANTONIO FREZNEKIER,

Primæ Laureæ Candidato,

AVTHORI OPERIS

Auream Phœbi Cytharam, gemmis, & Lilijs Coronatam.

CVM EPIGRAPHE.

Gemmas & flores refundimus in te.

In Signum gratulatorij applausus, & mutui affectus,

STANISLAVS RAPHAEL LEYHTNER,

eiusdem Laureæ Candidatus,

Offert, D. C.q;.

Quem

QVem Conſulari ſanguine, Cracia
Vrbs fudit Orbi, cingere gemmeis
Vatem coronis, lilijſq;
Gratus honos iubet, eruditæ
Carmenq; Muſæ, reddimus in tuos
Sinus, quod in nos grandine floridâ
Dilecte FREZNEKIER, procellis
Funderat ingenioſa vernis
Tui laboris dextera. Tu decus
Vernantis Hyblæ, laurigeras ſuper
Frontes tuliſti, Gratiarum
Delitias iaculatus omnes.
Phæbea ſed nos munera promimus,
Chelym Poetæ ſcilicet auream,
Eburq; ſacrum, quod coronat
Gemmeus imber, & innocentûm
Nix liliorum, nam Tibi gemmeas
Natura dotes, ſuadaq; Gratias
Conceſſit omnes; quas decoro
Indolis egregiæ venuſtas
In flore ſignat. Te niueis honos
Vectus quadrigis celſius efferet;
Nomen coronatum PATERNIS
Laudibus, vt teneas ad æui
Decus ſequentis. Sic Tibi candidi
Soles, & ætas gemmea ſeruiat;
Noſtris quod ex votis merentur,
Dona Tui pretioſa Phæbi.



Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris & Adm: Reuerendi Domini,

D. M. ALBERTI PAPENKOWICZ VSTIEN:

Sacræ Theologiæ Doctoris, & Professoris, eiusdemq; Facultatis Decani, Protonotarij Apostolici, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI ad Cracouiam Præpositi, Contubernij Staryngeliani Prouisoris, Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, Vigilantissimi & Generalis

R E C T O R I S.